

Hinc est, quod Anglorum regum^{e)} gesta vestra regia auctoritate domine nostre imperatrici, nepti vestre, destinare non timuimus, que hortatu domine nostre, sororis vestre, Mathildis regine scribere fecimus, rex illustris et prestantissime merito meritoque venerande domine. Suscipiat ergo excellentia vestra, regum optime, a pauperculo et desolato cetu vestro hereditarium munus et domine imperatrici una cum nostro legato vestra etiam auctoritate deferri curate. Quod si non vobis reddidissemus, iure argui deberemus iniurie et vos ingratitudinis possetis reos expostulare.

Hic enim cognoscetis, quam splendidis progenitoribus vos non indignus nepos et ipsa proneptis accesseritis et quam emulo gestu divine mentes vestre illorum sectate sint vestigia, priusquam cognoscerent nomina³³⁾. Sane quedam, que diebus regum in aliis acciderunt terris, preter materiam apposuimus³⁴⁾, que viderentur et ignari nescisse et ignavi preterisse.

Pro quibus omnibus si quantulumcumque amicitiam et advocacionem vestram meruerimus, abunde mercedem tulerimus. Quamvis^{f)} enim^{g)} amplissimus fructus bonorum operum sit pura conscientia, non nichil tamen advocatio et favor principum nutrit et fovet ingenia^{h)}: vester precipue, cuius mens benigna, manus munifica, regalis vita sine querela predicatur. Est certe familie vestre gentilicium, ut ametis litterarum studium. Nam, ut sileamus de ceteris, quorum litteraturam liber iste non taceat, domina nostra, germana vestra, hoc inter alias virtutes suas habebat continuum, ut litteris assisteret, cultores earum proveheret.

Cuius imitari benivolentiam regalis erit animi ingeniique propositi, tum in reliquisⁱ⁾, tum in dilectione monasterii sancti Aldelmi, cognati vestri. Quod ita demum fiet, si et sequamini, que bene fecit, et expleveritis, que minus fecit. Profecto enim credimus, quod non se putavit totam morituram nec omnino in cineres abituram, dum illum relinqueret superstitem, qui sua errata pro virili portione corrigere sciret, pro regali potentia posset, pro fraterno affectu vellet. Dum vero ipsa viveret, vigit in ecclesia nostra totius honoris perfectio, totius sanctitatis religio, totius caritatis largitio. Hoc solum in abundantia totius bonitatis superfuit, quod absque pastore gregem ecclesie nostre liquerit. Qua de causa oves ipsas^{k)}, quas domina nostra congregavit, iniuste dispersas noveritis. Quapropter suppliciter vestram regiam potestatem imploramus, ut preter ea, que per epistolam vobis mandamus, non indignanter obaudiatis et muneris nostri latorem apud imperatricem regali cura commendetis, quatinus de vobis nobis sit gloria, in quibus tante spei nostre constat fiducia.

Valeat in Christo regalis dignitas vestra.

e) regum] rerum T.

f) Quamvis — predicatur *auch bei V.*

g) enim *fehlt V.*

h) ingenia fovet *durch zwei // -Zeichen*

umgestellt T.

i) reliquis] reliquiis T.

k) ipsas] ipse *mit Cauda T.*

³³⁾ Vgl. im Widmungsbrief an Robert von Gloucester (St u b b s, GR 2, 356): dum intelligit tuae serenitatis assensus ante te summorum procerum imitatum facta quam audires nomina.

³⁴⁾ *Ebenda*: materiam totam poteris ... colligere. ... saepe per excessum alias quam in Anglia peregrinatur narratio.